

Q.H.  
429,  
58.

1120  
II C  
1120

X 1859314

Q. B. V.  
DE  
LAUDATIONIBUS FUNEBRIBUS  
VETERUM,

SCHEDIASMA HISTORICUM  
AMPLISS. FAC. PHILOS. CONSENTIENTE  
P. P.

M. JO. FRIDERICUS MAYER,  
RESPONDENTE  
DANIELE LINDENERO,

NUMBURGENSI,  
PH. BACC. CANDID. & SER. EL. ALUMNO.  
XVIII. MART. ANNO  
CIS IBC LXX.

LIPSIAE,  
Literis Jo. ERICI HAHNII.

BIBLIOTHEK  
MUNICKAVIAN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

d 7





1551.

*PLURIMUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS QVE  
VIRIS*

*DN. GOTOFREDO CHRISTIANO BOSIO,  
S.S. THEOLOGIAE DOCTORI FAMIGERATISSIMO  
ET AEDIS THOMANAE ARCHI-DIACONO.*

*DN. THOMAE STEGERO, S.S. THEOL.  
LICENTIATO CELEBERRIMO, ET AD D. THOMAE  
ECCLESIASTAE.*

*DN. JO. BENEDICTO CARPZOVIO,  
S.S. THEOLOGIAE LICENTIATO EBREAE LINGVAE  
PROFESSORI CLARISSIMO ET TEMPLI THO-  
MANI DIACONO.*

*DOMINIS*

*PATRONIS PROMOTORIBUS SUIS  
AETERNUM DEVENERANDIS,*

*HUNC IMMATURUM INGENII FOETUM  
OBSERVANTIAE, CULTUS, ET OBSEQVII*

*INDICEM*

*SACRUM ESSE CUPIT*

*JOANNES FRIDERICUS MATER.*







JESU FORTUNANTE.

ΠΡΟΑΥΛΙΟΝ.



Psā humanitas est, quæ curam mortuorum nobis injungit, ut vera ergò sint illa Ennodii verba (1): *Universis communis ergà defunctos inest reverentia, & circa religionem sorte ultima conditorum posuit humanitas universa culturam.*

Quæ Religio an humanitatis quoq; egrediatur terminos, bestiisqve (2) quibusdam insit, alii dispiciant. Canes ergo rabidi (divino & sanctissimo Platone (3) judice) qui in defunctorum corpora ac umbras iras suas extendunt: Talis Antigonus, (4) Constantius Augustus, (5) aliiqve. Ast

τί κέρδιον ὄντας αἰκίζειν νεκρῶς

Quod est lucrum mortuos foedare qui non sunt.

Quis adeò insaniret? ut defuncti corpus hostem putet? (6) Summopere hanc ferinam immanitatem detestati sunt sapientissimi gentiles, qui nec infensissimis hostibus sepulturæ honorem denegarunt; adeò ut & in Græcorum adversus Persas militantium juramento esset: *Socios omnes sepeliam, bello victor, etiam barbaros.* (7) Timebant siquidem Deorum iras, quod & Sophocles attendit, scribens:

ὦ ἄνθρωπε μὴ δρᾷ τὴς τεθνηκότας κακῶ

Εἰ γὰρ ποιήσεις, ἴδι πημανόμην

O homo! ne mortuis malefacias:

Si enim feceris, scito te male affectum iri.

Cujus argumenti eruditum commentarium scripsit Hugo





Grotius(8). Amplus hic sese offerret differendi camp<sup>9</sup>, de honoribus & officiis mortuis à gentilibus exhibitis, nisi & hoc argumentum adeo prolixum & à Clarissimis Sagacissimisq; Antiquitatum indagatoribus fuisset præoccupatum: unum tamen ex innumeris honoris generib<sup>9</sup> præsentis speciminis Academici materiam suppeditabit, orationes nempe illæ, officia virtutes ac honores mortuorū celebrantes: Veniã verò in horum pertractatione à summâ benevoli Lectoris humanitate ultro nobis pollicemur, nisi enim hæc nobis fuisset explorata, nihil quidquam luci dedissemus; hinc nihil amplius præcæmiantes, unicum hoc superaddimus Κ Α Λ Ω Σ Ε Σ Τ Ω.

(1) Ennad. declamat. 10. (2) de *Delphinibus* Ælian. Lib. 12. Hist. animal. cap. 6. de *Formicis* Plutarch. in Libello, Ultra animalia plus rationis habeant terrestria an aquatilia: quod cavernulæ suæ tertiam quandam civitatem vitâ functis & elatis reponendis habeant separatam: Et ex observatione Cleanthis scribit; egressas è cavernula formicas venisse aliis obviam, ferentibus mortuam, pro qua post varios ultro citroq; comæatus verme tanquam redempti mortui pretio desuper elato ac depenso acceptum mortuum intro abstulerint. Idem de iisdem refert Ælianus L. 6. H AN. D. Hieronymus de vita Malchi captivi Monachi. (3) Hoc epitheton Platoni attributum à Censorino de Die Natali cap. 14. p. 93. qui & *ἰερῶτα* à Luciano dictus notante Heinr. Lindenbrogio in not. ad Censorin. c. p. m. 102. Habet autem hoc Plato lib. 5. de Legibus p. 849. (4) Josephus Lib. 1. Belli Judaici c. 13. (5) De Constantio Hilarius: Cæteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem nihil causæ est. Tibi verò inimicitiarum nullus est finis. (6) Plato lib. VI. de Legibus p. 865. (7) Diodor. Siculus Lib. XVII. (8) Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. 2. cap. 19. de Jure Sepulturæ p. 303. seq. Addatur Augustinus Tom. IV. Oper. fol. 291. ad Paulinam de cura pro mortuis gerenda.

§. I. De laudationibus mortuorum dicturi, evolvamus imò Parentationis homonymiam Parentationes enim orationes



nes illas dictas, nemo est qui ignorat; quæ vox à p̃arentibus (quod his præcipuè exhiberi debeat hoc officiū) originem nanciscitur, sub qua & parentes propriè sic dicti & avi abaviq; (a) & alii cognati (b) comprehenduntur. Et ab hac Parentis ampliatione etiam parentationis vox ad alios aliosq; derivata videtur, quod parricidii (c) vocabulo quoq; accidit. Præter usitatam autem orationis funebris significationem; & maniū placationem denotat, quæ vel sacrificio (d) vel appositis ad tumulum cibis (e) vel inscriptis in monumentis carminibus (f) vel epulis feralibus (g) instituebatur.

(a) Sic Festus p.356. ed. Dion. Gothofredi. Jcti avos & proavos avias & proavias parentum nomine appellari dicunt.

(b) Hoc modo accipit Curtius lib. 6. c.10. n.30. Cicero pro Sylla cap. 31. de qua acceptione J. Freinshemius in commentario ad illum, Curtii locum & in Indice Curtiano & Flori Fr. Polletus histor. for. Rom. 2. 1. Adde verò præter Autores à Freinshemio citatos & Tertullianum lib. 1. ad Martyras cap. 2. p. 125. ed. Pam. Cætera æque animi impedimenta usq; ad limen carceris deduxerint vos, quousque & Parentes vestri ubi conf. B. Rhenanum in not. p. 17. & Hieronym. advers. Rufinum. Lib. 2. Forte parentes militari vulgariq; consuetudine cognatos & affines vocat.

(c) Parricida, dictus quasi parenti cida qui patrem propriè occidit. Postea de quolibet homicida usurpatum; ita ut Cicero etiam Parricida Fraternalis dixerit. Nisi forte scrupulum hic moveat non neminis conjectura, qui Parenticidam Parricidam, cum duplicato r. Homicidam verò alium, Paricidam uno R, scribendum astruat, quod ille Patrem, hic v. parem (h. e. hominem) occiderit. De qua conjectura alii judicent.

(d) Hæc sacrificia etiam Inferiæ dicebantur non ab Inferis ( siquidem ab his inferilia ut in glossario legitur ) sed ab inferendo, quod aliquid inferrent Diis manibus, cujus etymologiæ interpretes Virgilius Æn. lib. 9.

Absenti ferat inferias, decoretque sepulchro.  
Et Festus p.300. Inferiæ sacra erant quæ diis manibus inferebant. Continebant verò res præcipue sex, Aquam, Mel, Lac, Vinum, Sanguinem & comas, quod primus ex Philologis observavit Ludovicus





4555.  
vic. de La Cerda in Lib. IX. Æneid. n. 18. p. 311. seqq. Cumque ab initio sanguinem tantum inferrent bovinum aut vitulinum ut Seneca in Oedipo docet

— — Sanguinem libat focis  
Solidasque pecudes urit, & multo specum  
Saturat cruore, libat & niveum insuper  
Lactis liquorem fundit & Bachum manu &c.

sequentibus temporibus (horrendo facinore) sanguine humano mortuis parentarunt, quod ut alias notum, tamen non possum, quin hic Tertulliani adducam locum Libro de Spectacul. c. XII. p. 142. scribentis: *Olim quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat captivos vel maligno ingenio servos mercati in exequiis immolabant. Postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos tantum ut occidi discerent: mox edicto die Inferiarum apud tumulos erogabant.* Ubi (quod obiter monemus) observanda phrasis erogare servum: & quare erogationis vocabulo usus Tertullianus: respicit siquidem ad propriam Rogi significationem. Rogus enim proprie notat illum locum ad quem exhibebantur officia venerantium, & ex quo effundebantur in venerantes beneficia. Hinc rogare, erogare, & similia. Quia vero publice merentium stipendia in loco sacro numerabantur, eorum quoque distributiones erogationes dictæ.

(e) Ponebant super silicem lentes & offas Alex. ab Alex. L III. gen. Dier. cap. XII. p. 259. de quibus edere summa impietas erat, quod observavit Donatus ad Terent. act. IV. sc. I. & Servius ad lib. V. Æneid. Libavitque dapes &c. Rationem exhibebunt Rosinus, Kippingius aliique. Idem mos (alio tamen fine, non in mortuorum sed superstitum pauperum solatium) ab Ecclesia veteri fuit receptus, ubi cibos ac potus super sepulchra mortuorum ponebant amici, ut & pauperes qui his dapibus vescerentur ipsis beatum precarentur exitum. Sed cum occasionem scandali suppeditaret hæc consuetudo, ac si mortui his cibis indigerent, ex cœmeteriis & templis sublatae sunt hæ erogationes in domum defuncti, cuius Autor fuit Ambrosius, cuius exemplum reliqui secuti, quæ de re Augustinus in sermone de Cathedra Petri, & Theologi nostrates in Tobia cap. IV. v. 18. (f) Vete-



(f) Veteribus siquidem persuasum erat ad animas defunctorum con-  
dendas & locis pœnalibus extrahendas multum facere si à quo-  
piam Poëtâ earum tumulis carmina consecrarentur. Itaq; Elicia  
vocabant hæc carmina, quæ alienis animas locis elicerent & su-  
is redderent. Unde & Jupiter Elicius Arnob. Lib.V. de quibus C.  
Barthius Adversar. Lib.IV. c.12. p.180.

(g) intelligo hic ea convivia quæ in domo defuncti exhibebantur &  
filicernia alio nomine dicuntur, de quibus alibi.

§. 2. Erat & Laudationis genus quod Nænias, vocabant; quæ  
cantus erant funebres (b) à præficis (i) Propinqvorum loco (k)  
dicti, continentés lamentationē (l) & laudes defuncti à Simoni-  
de (m) instituti, primùm pueris (n) postea Viris (o) ad tibiam  
(p) canti, quibus præerat Nænia Dea (q)

(b) Diomedes Grammaticus. Apud Romanos, carmen quod cum  
lamentatione extremum atq; ultimum mortuo adcanitur, nænia  
dicitur. Idem scribit Acron vetus Horatii interpret ad Od. I.  
lib.2. Carm. Nænia carmen est lugubre, quod in mortuos canta-  
batur, quod nunc Græcis epitaphiū dicitur. Festus quoq; lib.12.  
Nænia carmen quod in funere laudandi gratia cantatur ad tibiam.  
Declinavit tamen hæc vox à nativa sua significatione, & postmo-  
dum alia carmina frivola præprimis ac puerilia denotavit, quem-  
admodum hoc sensu loquitur Horatius lib. I. epist. I.

Roscia dic sodes melior lex an puerorum

Nænia, quæ regnum rectè facientibus offert.

Quin & Nugæ propriè sint næniæ, ut Vossius in eymologico sub  
voce Nugæ tradit. Eò quod à præficis, nugacibus mulieribus, cane-  
rentur quod Nonn. c.2. apertè exponit scribens. Nænia ineptum  
ac inconditum carmen quod adducto pretio mulier cantabat &c.  
Hinc etiam Agellius Noct. Att. Lib. XIIX. c. VII. Vos philosophi  
mera estis (ut M. Cato ait) mortuaria glossaria. Nam qui colle-  
gisti & lectitasti res tetras & inanes & frivolas tanquam mulierum  
voces præficarum, ubi quid sint mortuaria A. Turnebus Advers.  
lib. 23. docebit. Dicitur etiam Nænia cantilena illa quæ fit super  
cunis puerorum ut dormiant, de quibus intelligendus locus Arno-  
bii Lib. VII. advers. gentes p. 140. Obdormiscunt superi remea-  
re ut ad vigilias debeant? quid domuitiones illæ quibus benè ut-

yale-





4557.  
valeant auspiciabili salutatione mandatis; Somni enim quiete sol-  
vuntur, occuparique ut hoc possint lenes audiendæ sunt næniæ.  
Apud Plautum Bachid. Act. 4. sc. 8. quid sit Nænia Soricina valde  
à Philologis disceptatur conf. Adr. Turneb. Advers. lib. XXIV.  
cap. XI. adeò ut proverbii etiã locum sustineat ita enim Just. Ryc-  
quius Epistol. XXVII. Cent. 2. ad Joann. Bapt. Saccum de loco  
quodam August. ad Mæcenatem. Misellum ἀποπασμάτιον!  
quod foricina nænia conscissius & Deiphobi illius Virgiliani facie  
truncatius circumlatum est.

(i) Nonius Marcellus p. 520 & 521. Præficæ dicebantur, apud Veteres  
quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ ut & flerent & for-  
tia facta laudarent. Profert in eam rem Plauti duo loca & Li-  
vii itē Varronis. Festus etymon exhibet. Præficæ dicuntur mu-  
lieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant cæteris mo-  
dum plangendi quasi in hoc ipsum præfectæ. Illudq; præficæ no-  
men mansit usque ad Bellum Punicum Nonio Marcello l. c. teste.

(k) Ex ritu Næniam cantabant tantum qui propinqui mortuis erant,  
vel eorum loco præficæ: Verba sunt Is. Casaubon. not. ad cap.  
100. Svetonii in Augusto. Hinc cum Patri Patriæ Augusto sum-  
mum exhiberent honorem, nec propinqui nec præficæ sed Princi-  
pum liberi utriusq; sexus nænias cantabant. conf. Sveton. cap. 100.  
in Aug.

(l) Hinc Scaliger Nænias dictas putat ab Hebræo נהי נהי plange,  
plange. Vossius quoque in Etymolog. sub voce Nugæ vo-  
cem vel Syram vel Hebræam arbitratur. Alii tamen Græ-  
cam putant, a νῆτη, à νῆτης alii, A quibus dissentit A. Turne-  
bus in commentario ad Ciceron. de legibus & ex eo A. Tira-  
quell. in not. ad Alex. ab Alex. Lib. III. Genial. Dier. cap. VII.  
p. m. 225. vocem hanc merè latinam adstruens, hinc cum antea  
locus Ciceronis Lib. 2. de Legibus cap. 62. p. 450. ed. Gothofred.  
in quibusdam editionibus ita fuisset lectus: HONORATO-  
RUM VIRORUM LAUDES IN CONCIONE ME-  
MORANTUR, EASQUE ETIAM AD CANTUS AC  
TIBICINEM PROSEQUUNTUR CUI NOMEN  
NÆNIÆ, QVO VOCABULO ETIAM GRÆCO  
CANTUS LUGUBRES VOCANT. Corrigunt & pro  
GRÆ-



GRÆCO GRÆCI legunt, quam lectionem quoq; Gothofredus in sua Ciceroniani operis recensione observavit. Licet etiam lectio illa, Græcos, non obstitisset.

(m) Ita scribit Acron loco supra citato & Ludovic. Vives in not. ad Augustin. de Civitate Dei lib. VI. c. 9. p. 602. Ab hoc Simonide etiam nomen sunt fortitæ, ut Cææ dicantur Horatio lib. 2. Od. 1.

Cææ retractes munera naniæ,  
Erat enim Simonides Græcus Poeta Lyricus, ex Insula Cea, cujus præcipua virtus in commiseratione commovenda, ita ut Quintilianus Lib. X c. 1. p. m. 895. de eo scribat. *Simonides tenuis, alioqui sermone proprio & jucunditate quâdam commendari potest: præcipua tamen ejus in commovenda commiseratione virtus ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis autoribus præferant.* Idem de eodem Dionysii Halicarnassei (cujus verba apud Dion. Lambinum in notis ad Horat. Lib. IV. Carm. Od. 9. p. 312. citantur) est judicium. Hic ipse etiam Simonides est qui memoriæ artem primus ostendisse dicitur, prolixè illud describit Quintilianus Lib. XI. c. 2. p. 635. seqq.

(n) Docet hoc Statius Thebaid. lib. 6. v. 120.

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco  
Tibia, cui teneros sveltum producere manes  
Lege Phrygum mœsta, Pelopen monstasse ferebant  
Exeqviale sacrum, carmenqve minoribus umbris  
Utile &c.

(o) Probari hoc potest exemplo Augusti l. K. & ex verbis Ciceronis lit. f.

(p) Stante hac sententia, cadet illa vulgaris Philologorum, pueros tantum ac pauperes ad tibiam elatos, Viros verò & honestos cives ad tubam, cui sententiæ subscribere non possumus: clara enim Historicorum adsunt testimonia, contrariam adstruentium, Suetonii cap. 83. in Julio, tibicines in funere Cæsaris, introducentis, & operosus sit Joann. Baptista Pius Annotat Posterior. c. 188. p. m. 567. in Lamp. Critica Gruteri, tom. 1. ut ut velit, tamen non impetrabit, ut hic siticinum vocem recipiamus: cum magnus Casaubonus in not. ad illum locum omnes à se visos codices in rem nostram loqui ac constanter tibicines legere adserat. Accedit Ovi-

B

dii





1559.  
dii autoritas Lib. 6. Fastorum v. 657.

Temporibus veterum tibicinis usus avorum  
Magnus, & in magno semper honore fuit.  
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis  
Cantabat mœstis tibia funeribus.

Tibia quoque tuba tristior erat, quod mitioris soni & flebilioris esset, hinc ad illam Næniæ, quod ex loco Ciceronis discimus: easque ad cantus tibicinum &c. Jam verò & næniæ Viris cantabantur: Fuerunt ergò in funeribus Virorum quoque adhibitæ tibiæ. Nec impedimento est quod pueri tibia elati fuerint, siquidem hi ad solam tibiæ, Viri verò ad tubam & tibiæ efferebantur. Rationem verò quare instrumentis musicis usi fuerint gentiles in funeribus exhibebit Macrobius Lib. 2. c. 3. Somn. Scipion, quod animam post corporis vincula, ad dulcedinis musicæ originem nempe ad cœlum ipsum redeant; Ut verò credamus Theophylacto ad Matth. cap. 9. in puellæ illius funere propterea tibicines adhibitos fuisse, quoniam nondum desponsata fuisset adduci non possumus, cum præter hunc nullus puto Autorum hoc adstruat. De tibiæ usu apud Lacedæmonios in bello & simul illorum qui in bello occiderant prolixus est Jo. Meursius Miscellaneor. Laconicor. Lib. 11. cap. 2. p. m. 102.

(9) De hac Dea Nænia Arnobius Lib. IV. advers. gentes p. 77. Augustinus Lib. VI. de Civitate DEI cap. 9. p. 600. conf. ibid. L. Vivem p. 602. & F. L. Coq. p. 604. Festus p. 10. *Nænia Dea sacellum ultra portam Viminalem fuerat dedicatum, nunc habet tantum adiculam.*

§. 3. Celebrabant etiam Romani mortuorum laudes variis aliis carminibus (r) quæ ut publicè quandoque canerentur, (s) impetrabant, quibus nec Athenienses (t) destituebantur.

(r) Ligato sermonis genere semper homines fuerunt delectati, ita ut nonnulli Philologorum etiam arbitrentur ligatum sermonem prosâ antiquiorem esse, cujus opinionis defensor Strabo lib. 1. assentiente Max. Tyrio oratione qua Poeticam laudat, Gyrardo aliisque. Imò ipse Vossius lib. 1. de arte Poëtica cap. 1. licet dissentire videatur, tamen fateri cogitur antequam scribendi usus obtinisset, carminibus fuisse res gestas comprehensas. Vide quæ ha-

bet



Bet Amplissimus Strauchius in dissertat. Publ. ad Tacit. de moribus Germanorum cap. III. §. 3.

(s) Tacitus lib. 2. Annal. cap. 83. honores mortuo Germanico exhibito describens. *Honores ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretiq, ut nomen ejus saluari carmine infereretur.* Jam olim verò id Romæ institutum erat, ut ex iis constat quæ de Mamurio Veturio & Lucia Volumnia scribunt, Varro, Ovidius, Festus, Plutarchus & alii.

(t) Certa Scholia (erat hoc carminis genus quod in conviviis ad citharam canebatur) habebant Athenienses quibus defunctorum laudes prædicabant, inter quæ præcipuum illud in laudem Harmodii liberatoris compositum, cujus initium *Φίλτατε Ἀρμόδιε ἔτι ἔτεθνηκας* h. e. neutiqvam Harmodie interiisti, conf. Casaubon. ad cap. XIV. lib. XV. Athenæi p. 980. seqq.

§. 4. Sed ipsas nostras orationes funebres ad eam magnam illud imò maximum honoris genus (u) quo mortuos (vv) decorabant, Orationes & sermones illos (Ægyptiis, Græcis & Romanis (x) usitatos) intelligo, qui prosâ ad populum è suggestu publico, (y) à propinquis (z) vel officio (aa) aut oratoria facultate (bb) excellentissimis orationibus, primùm viris virtuosis, (cc) postea etiam foeminis (dd) in sepelitionis actu (ee) ad auditorum animos commovendos (ff) & ad virtutes mortuorum deprædicandas (gg) habebantur. Quos an Româ Græcia prior habuerit valdè disceptatur (bb)

(u) de Romanis Dion. Halicarnass. Lib. ix. Antiquit. Rom. p. 611. cujus verba ex versione Fr. Sylburgii: *Prolato Appii in forum corpore, filius ejus à tribunis & consulibus petiit, ut quod instituto majorum in præstantium virorum funere fieri soleret, sibi quoq, funebrem super patre orationem habere permitterent. Tribuni verò dum populus adhuc vocaretur à consulibus, obstiterunt, ac denunciarunt adolescenti ut cadaver è foro tolleret. Non tulit hoc populus nec dissimulavit hanc injuriam, ut inhonoratum corpus ejiceretur, sed permisit adolescenti Patri & extremum & moribus receptum honorem persolvere.*

ris ef-  
easq;  
tur:  
Nec  
ad so-  
onem  
ribus  
nam  
pè ad  
Matth.  
fuisse,  
cum.  
rum.  
lo oc-  
Lib.  
Augu-  
vivem  
ultra  
salam.  
es va-  
entur,  
ur.  
i, ita  
onem  
lib. I.  
yraldo  
dissen-  
s obti-  
væ ha-  
bet





- 1562
- (10) Plato Lib. vii. de Legibus p. 888. in med. libri? *Viventes laudibus ac hymnis honorare tutum non est, prius quam vita functus quispiam finem vivendi præclarum fecerit.*
- (x) De Ægyptiis hoc refert Diod. Sicul. l. 2. c. 3. & ex eo Athan. Kircherus Oedipi Ægyptiaci Synt., II. cap. II. p. 124. De græcis Plato in Menexeno p. 516. ab initio. De Romanis Suetonius, Halicarnass. alii. Hic etiam quæstio posset institui. An Judæis quoque fuisset laudare mortuos, & in hanc rem trahi posset caput LVII. Esaiæ, an illud sit concio funebris quam Esaias Ezechia Regi defuncto habuerit. Variæ circa hoc caput interpretum sunt opiniones. Si quidem justum vocabulum quam plurimi de Christo Salvatore & ejus discipulis interpretantur, ita Procopius Sophista ex interpretatione Joannis Curteri. edit. Paris. Ann. 1580. p. 642. *Erat is justus qui peccatum nesciebat, cujus etiam participes effecti sunt discipuli, qui justus etiam nuncupantur, quos illi cum evangelicum sermonem promulgarent, interemerunt, & interfecerunt, Jacobum putant Fratrem Domini & Stephanum Act. 7.* Cornelius à Lapide in h. l. p. 465. de quibusvis justis, (cujus sententiæ etiam est Augustinus Marloratus p. 450, præprimis tamen de Christo uti etiam Glossa interlinearis vult) exponit. A quibus tamen recedit Estius annotat. aur. in scripturam ed. col. p. 230. & in Bibl. Max. Joh. de la Haye Tom. IX. p. 443. negans de Christo hæc interpretari posse, quod Christus post mortem statim factus fuerit gloriosus, per resurrectionem miracula & prædicationem Evangelii, quia etiam Prophetæ viros misericordiæ in plurali, & de pluribus loquatur. Hinc conjicit Jesaiam de seipso loqui, & mortem suam prædicere. Quæ sententia etiam Rabbiorum est. Sed terminos Philologiæ profanæ transgredi animus non est.
- (y) De Romanis Suetonius cap. 84. in Julio Cæsare probat. Idem in vitâ Augusti cap. 100: *Augustus bisariam laudatus est, pro æde D. Julii à Tiberio, pro Rostris sub veteribus à Druso Tiberii Filio.* Tacitus lib. V. Annal. cap. 1. de Julia Augusta: *Laudata est pro Rostris à C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est; Suetonius cap. X. in vitâ Caligulæ: Reversus primum in Matris, deinde ea relegata in Livia Augustæ Proavia suæ contubernio mansit, quam defunctam prætextatus, etiam tum pro Rostris laudavit.* Dion. Halicarnass. lib. V. Anti-



2567.  
v. Antiquit. Rom. p. 291; *postera die pullatus* (Valerium intelligit) ipse corpus in foro propositum, in lectica ornatissima, advocatog, in concionem populo, & consensu tribunali orationem habuit. Suas quoque laudationes in publico habebant Athenienses, quod ex Platonis Menexeno p. 516. disco. In eodem & Ægyptii, de quibus Alex. ab Alex. lib. III. genialium dier. c. VII. & Indi, de quibus Alexander: Apud Indos multa secula viguit mos, ut quum moritur quispiam pro foribus domus magistratus cui hoc munus impendebat ante actam vitam describat &c.

(z) Sanguine propinqui apud Romanos hoc defungebantur honoris officio. Polybius lib. 6. & Livius l. 2. Hieronymus Tom. I. oper. ed. Basileens. p. 21. in Epitaphio Nepotiani: *Moris quondam fuit, ut super cadavera parentum defunctorum in concione pro rostris laudes liberi dicerent, & instar lugubrium carminum ad fletus & gemitus audientium pectora coninarent.* Exolvit hoc Augusto Drusus filius Sueton. cap. 100. Tiberio patri, Tiberius filius novem annorum puer Sueton. c. 1. De Syllæ funere Appianus libr. I. *Pro Rostris, deinde in suggestu posito cadavere, funebrem orationem habuit vir ejusdem ætatis eloquentissimus, quod Faustus filius nondum esset maturus.* Patres etiam filios laudasse, exemplum est apud Plutarchum in vita Fabii Maximi. Fabius Maximus fertur in funere filii intestino dolore licet affectus, oratione tamen non infracta, ad populum ipsius laudes magno spiritu disseruisse. Sic etiam conjux Julii Cæsaris ab ipso marito Cæsare laudata.

(aa) Quò laudator major, eò plus honoris redundabat ad defunctum. Sic Valerius Consul, Brutum Consulem laudavit Dion. Halicarnass. Libr. V. p. 291. Plin. libr. 2. ep. 1. Hujus viri exsequiæ magnum ornamentum principi, magnum seculo, magnum etiam foro & rostris attulerunt: Laudatus est à CONSVLE CORNELIO TACITO. Hinc etiam Magistratibus ex Scto funebres hæ laudationes injungebantur, docet hoc Quintilian. instit. orat. lib. II. c. VII. p. 172. *Mos Romanus etiam negotiis hoc munus inseruit. Nam & funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo officio, atq; ex Senatusconsulto Magistratibus sæpe mandantur.* Injunctum hoc munus Sacerdotibus ab Ægyptiis, & Pontifici Max. quandoque à Romanis, de quo Kircherus l. c.



- (bb) Non quemlibet ad hoc officium fuisse promotum longæ illæ Atheniensium deliberationes produnt, quarum mentionem Plato facit Menex. p. 516. ubi Menexenus ad Socratem, *Nunc verò ad Senatum profectus sum, quoniam audiveram eligendum aliquem qui laudibus defunctos ornaret. Nam ut scis inferias facturi sunt. Soc. Audivi equidem, sed quem potissimum elegerunt? MEN. Nullum, nam in crastinum distulerunt, arbitror autem Archinum vel Dionem electum iri.* Adhibuerunt itaq; Athenienses summos oratores quiq; in suo genere Roscii essent Periclem oratorem illum fulminantem, cujus parentatio & funebris oratio tanto cum applausu fuit, excepta, ut ipse orator postea floribus spargeretur, & coronâ tanquam athleta exornaretur: Confer Thucydid: lib. 2. Hist: non enim temeraria sed multo tempore composita & comparata oratione laudabant Plato in Menex. scribit. De Romanis Plinius lib. 2. Epist. 1. *Laudatus est à Consule Cornelio Tacito. Nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.*
- (cc) Athenienses tantum viros bello claros laudabant. Hinc Dion: Halicarnass. p. 291. *Ritus Romanorum melior Atheniensium, quoniam hi solos qui in bello occiderant, laudabant, ex una obitu virtute, etiamsi in cæteris nihil forte fuisset, fortem virum censendum judicantes.* Plato in Menex. p. 516. videtur Menexene apud plerimas gentes præclarum esse in bello occumbere. Equidem qui sic è vitâ migrat, funere & sepulchro magnificentissimo honoratur. Et si pauper quis ita decedat, laudatione non caret, si vilis quispian à sapientibus viris extollitur. Laudatum tamen ab Atheniensibus fuisse Zenonem Philosophum Laërtius lib. VII. p. 378. 379. prodidit. Aliam Legem Plato tulit lib. VII. de legibus p. 888. *Si qui civium vivendi finem fecerunt, corporis vel animi viribus res honestas & arduas operati, & qui debitum legibus obsequium præstiterunt, eos Encomiis, laudibusve ornare decorum est.* Idem etiam apud Romanos vult Lex XII. Tab. HONORATOR. VIROR. LAUDES ENDO. CONTIONE MEMORANTOR.
- (dd) Qui honos viris primo proprius postea & mulieribus collatus fuit: Effecit hoc illarum prudentia & virtus. Sic enim Cælius Rhodiginus lib. XIII. antiqvar. lectionum p. 721. *hujus præterea sexus honori & illud Romana Majestas impertita est, ut in clarissimarum*



rum' funeribus Epitaphii dicerentur. Quod item ex virtute natum, ac pietate est, siquidem cum mittendum ad Delphicum Apollinem munus esset ex Camilli voto, nec foret auri tantum in urbe, mulieres sponte corporis ornamenta contulere. Primus, Cæsar conjugem laudavit. Liviæ proaviæ suæ laudes pro Rostris Caligula dixit Sveton. cap. X. Julia Augusta à C. Cæsare Tacit. lib. V. Plato lib. VI. de legibus: Hæc omnia Viris mulieribusq; virtute insignibus sint communia.

(ee) Antequam cremaretur corpus, lectum pro Rostris extruebant, & mortuum in eo collocabant (Cæsari tamen quoddam pegma in modum templi extructam, de quo Svetonius cap. 84. quod ad divinitatē faciebat) in his reqviescebant defuncti dum perageretur laudatio. Polybii ætate nonnulli putant inter laudandum defunctorum corpora erecta posita fuisse, cujus verba tamen de simulachris defunctorum cereis etiam accipi possunt, quæ ut à populo conspici possent, machinamentis erigebantur. Tale simulachrum ab Antonio ostensum est populo, super funebri lecto Cæsaris, ea arte factum ut versatile esset omniaq; ei imposita vulnera mirè ob oculos poneret, Appiano teste & Casaubono ad locum citatum Svetonii. Accedit & illud planè tectum fuisse mortuum cum à Pontifice Maximo laudatio haberetur, ne hujus adspectu Pontifex conspurcetur.

(ff) Dion. Halicarnass. Tom. II. Oper. in Rhetoricis p. 39. tradit methodum scribendi epitaphium Sermonem, illiusq; tres facit partes, laudationem, lamentationem & consolationem, inter quas tamen lamentatio præcipua. Siquidem quam plurimæ laudationes eo fine habitæ ut animos auditorum ad misericordiam & lachrymas moverent, (quemadmodum & Plato lib. V. de legibus scribit, Athenis peractis sacrificiis orationes lachrymosas fuisse habitas, quique ex illis oratoribus primus auditoribus lachrymas expresserat victoriæ præmium reportabat) Hunc suum finem ex asse adsequeretur Valerius Poplicola cujus laudatio in honorem Collegæ recitata, usq; adeò placuit Populo Romano, ut hujus exemplo præclari & insignes viri omnes vita functi laudentur verba Plutarchi sunt in Poplicola p. 101. & 102. De laudationibus Atheniensium Plato in Menexeno; dum & quæ sunt & quæ non adsunt de aliquo prædi-

A-  
to  
e-  
ui  
oc,  
L  
em  
q;  
n-  
t  
n-  
n-  
ra-  
lib.  
re-  
on:  
ni-  
e  
di-  
nas  
c è  
Et  
uis-  
ni-  
79.  
Si  
ne-  
ite  
m  
AU-  
atus  
lius  
erea  
rissi-  
rum





1565.  
prædicant, verborum elegantia animos auditorum quasi præstigiis beneficiisq; quibusdam capiunt.

(gg) Athenienses fortitudinem laudabant: Exempla horum sermonum funebrium Athenis habitorum reperies apud Thucydem lib. 2. Hist. p. 123. seqq. Aspasiæ apud Platonem in Menexeno p. 517. Romani genus, propria merita in Rempublicam: de Ægyptiis verò refert Athanasius Kircherus Oed. Ægypt. Synt. II. cap. 1. p. 124. quod, in laudationibus regis etiam nullam generis mentionem fecerint, existimabant enim omnes se pariter nobiles esse. Sed ordientes à pueritia, in quâ vitæ institutionem, eruditionemq; recensabant, descendebant post ad viri ætatē, ejus erga Deum religionē, justitiam, continentiam virtutesq; cæteras commemorantes. Præscriptæ enim Regi erant Leges ad quas vitam suam instituere cogebatur. Summo cum mane surgeret, omnes epistolas missas ipse capere oportebat & perlegere. His actis in præsentia Virorum excellentium corpus lavare jubebatur, post Diis sacrificare; Cibo simplici vesci cautum erat, nec præter anserem, aut vitulum quidquam mensæ inferebatur. Certa quoq; potandi mensura illi destinata. Imò tota vita Regia ea tenebatur modestia ut non à legislatore sed à peritissimo medico ad conservandam valetudinem composita videretur. His si vitam suam accommodarat maximis preconiiis ornabatur.

(hh) In utramque differitur sententiam. Nonnulli Romanis, Græcis alii inventionis laudem tribuunt. Dion. Halicarn. de hoc ritu scribens ipse fatetur se ignorare an à Regibus Romanis an à Valerio Poplicola institutus sit, Romanis tamen tribuit: quod Romanorum inventum sit in clarorum virorum funere virtutes illorum laudare, nec à Græcis hoc primum institutum esse, communi historia compertum habeo. Serò Athenienses funerum legibus laudationem addiderunt, sive id in iis primum fecere qui ad Artemisium, ad Platæas pro patria pugnantes occubuerunt — & ut demus morem hunc cœpisse à Marathonensi pugna, hæc quoque se decem annis funere Bruti est posterior. Ast objicias locum Anaximenis à Plutarcho in Poplicola citati, Solonem hujus ritus Atheniensis esse autorem, Græcis longè posteriores Romani hanc

con-



1568.

consuetudinem acceperunt. Solon siquidem sub Tarquinio Pri-  
sco Rege, Poplicola autem depulsis Regibus. Nisi & sub Regi-  
bus has laudationes floruisse adstruas, illudq; ex Catonis origi-  
nibus, in antiquissimo latinitatis seculo nihil planè ad posteros  
delatose sse exceptis solùm nonnullis mortuorum laudationibus,  
quod an Romanis aliquid patrocinetur disputari posset.

§. 5. Hunc mortuos laudandi ritum etiam Ecclesia vetus  
recepit (ii) inde & ad nos aurea illa S. Patrum epitaphia (kk)  
sunt translata quorum argumentum vel mortis dolor (ll) vel  
dulcedo erat (mm) laudantes mortuum (nn) ut ad sequelam au-  
ditorium provocarent. (oo) Quem & in nostris Ecclesiis etiam-  
num observamus (pp)

(ii) Dionysius quem Areopagitam vocant, scriptor antiquissimus  
& elegantissimus, iudice Casaubono, jam suo ævo earum mentio-  
nem facit. Conf. & Socratem Lib. V. Hist. cap. 9.

(kk) Plurimorum Patrum funebres sermones possidemus. Grego-  
rii Nysseni ed. Basileens. orat. funebr. Fratris sui Basilii Magni  
quæ est oratio in parentatione anniversaria Basilii habita, cujus  
memoriam hodiè quoq; quotannis celebrant Græci, teste Leone  
Allatio de Templis græcorum epist. 2. p. 1.) à p. 262. usq; ad p. 274.  
Pulcheriæ p. 281. usque ad p. 286. Placillæ p. 286. usq; 291. Gre-  
gorii Nazianzeni Orat. XXIV. Orat. XXV. Orat. XXX. Ambro-  
sii de obitu Valentiniani Imp. Tom. III. Oper. à p. 3. usque ad 12.  
de excessu fratris sui Satyri à p. 13. - 23. de morte Theodosii Imp.  
à p. 47. usque ad p. 55. Hieronym. Tom. I. Epitaphium Nepo-  
tiani scriptum ad Heliodorum, Marcellæ viduæ, scriptum ad Prin-  
cipiam Virginem To. I. p. 117. usque ad 121. Epitaphium Paulæ  
matris ad Eustachium filiam virginem p. 169. Epitaphium Luci-  
nii p. 195, ad Theodor. Epitaphium Fabiolæ ad Oceanum p. 197.  
atq; in hoc in compendio quasi suas funebres orationes exhibet,  
ita scribens: *Plures anni sunt, quod super dormitione Blesilla, Pau-  
lam venerabilem fœminam recenti adhuc vulnere consolatus sum.*  
*Quarta estatis circulus volvitur, ex quo ad Heliodorum Episcopum*  
*Nepotiani scribens epitaphium, quidquid habere potui in illo tunc do-  
lore*

C



lore consumpsi. Ante hoc fermè biennium, Pammachio meo pro subita peregrinatione Paulinæ epistolam dedi & nunc ad te &c. Bernardi ferm. de S. Benedicto fol. 26. in funere Humberti. fol. 64.

(ll) Theodosio Ambrosius parentans p. 47. ita incipit: *Hoc nobis motus terrarum graves! hoc juges pluviae minabantur! & ultra solitum tenebrosior caligo denunciabat! quod clementissimus Imperator decessurus esset è terris. Ipsa igitur elementa excessum ejus mœrebant. Cælum tenebris obductum, aër horrens caligine, terra motibus quatiebatur. Eodem modo conscriptus est pulcherrimus iste sermo Gregorii Nysseni quem in funere Pulcheriæ habuit. p. 281.*

(mm) Ut ergò dulcedinem mortis feliciter persuaderent ac proponerent, eligebant aliud quoddam alterius orationis (præter ipsam mortui orationem laudatoriam) argumentum, de quo dissererent, quod etiam ad auditorii solatium facere arbitrabantur. Sic Ambrosius elegantissimam sanctissimamq; habuit orationem, (posteriorem puta) de fide Resurrectionis in morte fratris sui p. 24. in qua hunc ritum ipse indicat quæ verba ipsa apponere placet, quod in illis plures consuetudines comprehendantur: *Superiore libro aliquid indulsum desiderio, ne tanquam ferventi plagæ austeriora medicamenta exasperarent magis quam lenirent dolorem: simul quia fratrem sepius allocuti sumus & oculis tenebamus, absurdum non fuit relaxare paulisper affectum naturæ. — Nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est, à Fratre paululum ad communem humani generis cohortationem juvat derivare mentem; ita ut neq; totis sensibus desigamur in fratre ne obrepit affectus, neq; tantæ exules pietatis & gratiæ eum quem diligimus deseramus &c. Augustinus Confession. Lib. IX. cap. 12. p. 159. de modo quomodo luxerit mortem matris suæ. Audito autem quid ageretur, convenerunt multi fratres, ac religiose fœmine, & de more illis quorum officium erat funus curantibus, ego in parte ubi decenter poteram cum eis qui me non deserendum esse censebant, quod erat temporis congruum disputabam, eoq; fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus & sine sensu doloris me esse arbitrantibus &c.*

(nn) Laudabant Pietatem præprimis, notatu dignum encomium, Fratris sui Basilii M, Gregor. Nysseni in orat. funebri ejusdem, cujus



cujus verba ex versione Sifanii & Lewenklaji p. 272. ita se habent: Quæ est igitur Basili nobilitas & claritudo generis? quæ patria? Ac genus quidem illi familiaritas ac necessitudo cum Deo, Patria verò virtus. Sobrietas illi pro domicilio, sapientia loco prædii; justitia autem & veritas & puritas pro splendidis, magnificis atque visendis ædificiorum ornamentis, in quibus inhabitans magis his delectabatur ac sibi placebat, quàm qui marmoreis & auratis ædibus glorientur. Hieronymus ad Eustochium virginem p.169: Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas & omnes artus humana voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulæ virtutibus dicerem.

(pp) Gregor. Nyssenus Orat. sup. citata: Si alius nuda oratione celebret virtutem Magistri, alius verò suam ipsius vitam illius imitatione exornet, efficacior quàm oratio sublimis fuerit ea laus quæ per vitam repræsentatur. Sic igitur Fratres etiam nos sobrietate sobrium imitantes factis nostris virtutem pro dignitate laudemus. Ne dicas solùm quod ille Deo dedicatus & addictus esset, sed tu quoque te ipsum Deo dedica atque addic.

(qq) Crantzius Metropol. lib. ix. cap. 28. Anno d. 1248. Germanos funebres laudationes accepisse refert. Atque hic ritus hodiè ab Ecclesiis retentus, tam ad laudem defuncti quam ad solatium amicorum defuncti vergens.

Atque hæc sunt illa meditata historica de orationibus funebribus veterum (paucis horis) nobis subnata. Deo pro concessio auxilio tribuimus gloriam, à Lectore amico ob judicii inopiam, ac styli intermissi majestatem ea quæ possumus humanitate rogamus

VENIAM.

D. S. G.

Ewt-





1569.

QX TC 1120

Επίμετρον.

**A** pud, Tacitum Lib. XIV. Annal. c.  
~~ix~~ ~~22~~ an retinenda Lectio carne pecu-  
dum vesci (quod inter fastidia ac tædia  
militaria numeratur) Philologi disce-  
ptant, nonnulli carne peloridum sub-  
stituunt, alii vero nihil mutandum af-  
ferunt, & carne pecudum exponunt  
mera carne, nullo pane vesci, quod me  
Magnificus Dn. BOECLERUS in Acade-  
mia Argentoratensi Præceptor meus  
& Maximus Patronus docuit in Lecti-  
one publica ad Tacitum, quam senten-  
tiam etiam amplectimur.

F I N I S

1077

mit





1551.


PLU

DN. C  
S.S. TH

DN.  
LIC

DN.  
S.S.

HU



AMPLISSIMIS,  
QVE

NO BOSIO,  
GERATISSIMO

CONO.  
S.S. THEOL.  
D D, THOMÆ

ARPZOVIO,  
REÆ LINGVÆ  
MPLI THO-

US SUIS  
DIS,  
II FOETUM  
OBSEQVII

T  
ATER.

